

erant concordēs quod ponerentur in acervo bonorum fideicommissariorum prò taxandis alimentis, ita de cæteris nulla posset haberi ratio, cum ductum non esset ex parte Montistatum, quod quid minimum redderent, prout facere tenebantur iisdem Montistæ, allegantes dd. bonorum existentiam, & sufficientiam prò arcendis dd. fratribus ab actione & consecutione Alimentorum super bonis fideicommissariis actu delatis, ut concordantibus adductis plene firmat *Card. de Luca de dote disc.*

15 *145. n. 84. s. Tertia.*  
Jactis hinc fundamentis; Devenientes DD. ad taxationem nequiquam obstare censuerunt Reverendissimo Cornelio aut Commendatario Afcario fratri generale illud objectum, quod ipsi, ut supponebatur, tanquam hæredes Hippolyti Patris, qui pepigerat cum Montistis, se non deducturum Jura ab avitis fideicommissis derivantia, nequeant petere alimenta impugnativè ad factum Patris. Cum etenim obligatio Hippolyti non caderet quam super Juribus propriis, quorum non usum Montistis promissit, quælibet aditio vel qualitas hæreditaria vetabit quidem ne petantur alimenta quæ eidem Hippolyto competissent, nequaquam verò præpedire poterit quin filii alimenta petant ex propria persona sibi competentia independentè à Patre, cum quoad ista non dicantur factum paternum impugnare, sed nova Jura ex persona propria deducere, *Staiban. resol. 181. n. 66. Andreol. contr. 212. n. 4. Rot. decis. 265. n. 21. & 26. & in Romana Dotis 25. Junii 1708. §. Neque coram Me.*

16 Quo remoto objecto, cum tres essent Personæ alimentandæ quoad Marchionem Aloysium Primogenitum, & Patrem familias, ponderantes Domini, quod esset uxoratus, & quatuor jam suscepit filios, duos masculos, & totidem scæminas dixerunt illius alimenta una cum filiis taxanda esse in annuis scut. 3000. quam summam congruam, & honestam crediderunt, inspecto numero, & qualitate familiæ in suo genere nobilissimæ ac pensatis cæteris circumstantiis quas ad hunc effectum esse in consideratione habendas dixere *Surd. de alim. tit. 4. quæst. 19. n. 1. Card. de Luc. de Credit. disc. 120. n. 11. & in Romana Alimentorum 22. Junii 1701. §. in hypothesi coram Reverendissimo meo Decano; Reverendissimo autem Cornelio nuper ad Nunciaturam Gallicæ dignissimè promotio debere annua scut. 1500. ad formam Alexandrinæ, non computatis tamen pensionibus, & Beneficiis Ecclesiasticis cum eidem non in statu simplicis Prælati constituto, sed ad majorem dignitatem objecto, majora etiam debita videri possent alimenta, quorum necessitas augetur, aucta dignitate alimentandi, *Surd. de alim. tit. 4. quæst. 18. n. 2. Saminat. contr. 175. num. 73. Rot. in Aven. successionis super Provisionali 17. Junii 1709. §. fin. coram R. P. D. meo Falconerio.* Afcanum verò insignitum Commenda Inclitæ Religionis Hierosolymitanæ DD. censuerunt contentum esse debere annuis scut. 600. non computata eadem commenda cum dictam summam sufficientem, & congruam prò illius alimonia aliàs crediderit Sac. Tribunal coram bo. me. Ursino, & nulla nova assignabilis esset ratio prò eadem taxa immutanda, vel augenda; aures de reliquo non præbentes iisdem Domini conclamationibus Montistarum super insufficientia bonorum fideicommissi, cum illa neque in facto subsisteret, neque in Jure relevaret prò arcendis Alimentariis ab exercitio actionis ex superius ponderatis, competentis prò consecutione Dotium, & alimentorum, prò quibus ad metan congruitatis in longè debilioribus terminis fo-*

lius subsidii *Authenticæ res quæ*, aliàs fideicommissum possit everti, & in totum absorberi *Alex. conf. 7. n. 5. lib. 2. Boss. de dote cap. 15. num. 106. Cyriac. contr. 509. num. 1. & Rot. decis. 312. n. 36. par. 6.*

Et ita utraque Parte audita, & videntibus omnibus DD. responsum fuit approbantes in reliquis iisdem DD. fundamenta præcedentis resolutionis.

R. P. D. LANCETTA DECANO.

ROMANA TESTAMENTI.

Lunæ 23. Februarii 1722.

ARGUMENTUM.

Testamentum Patris inter filios ut observandum sit, non alias quam naturales probationes requirit, & quid si scriptis fuerit exaratum ad explicationem Textus in §. *Nos igitur auth. de Testam. imperfect. Valere autem etiam contineat inæqualitatem, & non modo filii, sed etiam prodesse cæteris descendentibus, & Cautæ piæ, secus extraneis. Uxori pauperi deberi quartam in bonis Viri in sequentibus decisionibus late examinatur atque definitur.*

SUMMARIUM.

- 1 Testamenta propter inanes observationes irrita fieri non decess.
- 2 Testamentum inter liberos naturalem dumtaxat probationem voluntatis requirit.
- 3 Refertur dispositio §. Nos igitur auth. de Testam. imperfect.
- 4 Hæres institutus in re certa nullo dato cohæredere habetur ac si institutus esset in tota hæreditate.
- 5 Præcipue si talis institutus est filius Testatoris.
- 6 Ideoque filius institutus in certa parte fructuum efficitur hæres universalis.
- 7 Verbum vadino est directum.
- 8 Hæredis institutionem sufficit ex quibusvis verbis deduci.
- 9 Legitima filiorum rejicit omne onus ipso jure, & repletur usque ad debitam quotam, citra quod quidquam detrahatur validitati testamenti.
- 10 Testamentum imperfectum inter liberos favore extranei non attenditur.
- 11 Item legatum Uxori relictum in tali testamento nullum est, & n. 17.
- 12 Et executorum extraneorum datio habetur pro non scripta.
- 13 Liberos appellacione nepotes & cæteri descendentes continentur.
- 14 Hinc testamentum Patris minus solemnè ipsi etiam prodest.
- 15 Causa pia utitur eodem privilegio ac liberi.
- 16 Testamentum hujusmodi per inæqualitatem inter filios exercitum non corrui.
- 18 Viduæ, quæ dotem non habet, debetur quarta in bonis defuncti viri.

19 Amplia

19 *Amplia est dotem habet, sed imparem sustentationi; eam enim dumtaxat computare tenetur.*

DECISIO XII.

Solemne ac nimis scrupulosam verborum observationem, antiquo Jure in ordinandis testamentis præscriptam, cum in ultimo Panli Morelli Patris elogio Thomas alter ex filiis superstitibus neglectam esse animadverteret, irritum illud, nullumque declarari petebat virtute specialis Commissionis, ex rescripto SSmi in devolutivo mihi directæ, adversus Sententiam à Congregatione Particulari super ejus validitate præcedenter latam appellacione remota. Sed DD. indignum putantibus ob inanes observationes irritas fieri tabulas, & judicia mortuorum, juxta aurea verba *Text. in l. quoniam indignum 15. Cod. de testam.* placuit præcedentem sententiam in omnibus confirmare, atque ideò congruo dubio per me hodiè proposito responderunt -- *Constat de re judicata.*

Omissa enim validitatis inspectione, quæ perperam pro parte Thomæ confundebatur cum justitia Sententiæ, & cæteroquin præclarè apparebat ex revolutione actorum, pro eo, quod ad merita Causæ attinet, non dubium erat, neque controversum in facto, quod defuncto Paulo duobus superstitibus filiis Dominico, & Thoma, paucis ab ejus obitu diebus inventum fuerit folium in aula quadam, sive, ut vulgo aiunt, *Baullo*, sub duplici sera & clave diligenter custoditum, ab ipso Paulo scriptum, atque subscriptum, non laceratum, aut lituris scedum, sed in partibus maximè substantialibus integrum, ac nitidum, & formam privilegiati inter liberos testamenti in omnibus exhibens: nedum enim ejus dorso idem Paulus proprio caractere inscripserat -- *Testamento fatto di me Paolo Morelli q. Domenico unico --*; sed etiam intus præmissa Divini Nominis invocacione, atque adnotacione diei: ibi -- *in nomine Domini. hoggi à di 10. Agosto 1713.* -- statim sub initium declaraverat se ultimum condere Testamentum per illa verba -- *Jo Paolo Morelli figlio del q. Domenico &c. fo questio mio ultimo Testamento --* & infra Scripturam compleverat illis aliis verbis -- *E questa è la mia ultima volontà in fede &c. Jo Paolo Morelli mano propria --* Quamobrem cum ageretur inter liberos, & exhiberetur folium, perfectæ & undiquè completam Patris voluntatem continens, nulla alia exigenda erat extrinseca solemnitas, quæ Jure communi in Testamentis inter extraneos ordinandis præscribitur, cum peculiare sit privilegium Testamenti inter liberos, ut sola naturali probatione paternæ voluntatis perficiatur, juxta *Textum expressum in l. hac consultißima §. Ex imperfecto C. de Testam. & sæpè dixit Rota, ac præsertim dec. 475. n. 1. cor. Burat. & in Romana Fideicommissi 1. Julii 1699. §. Nam de voluntate cor. cl. me. Cardinali de la Tremoille, & in Firmana Testamenti 26. Aprilis 1692. §. Primo coram cl. me. Cardinali Caccia, & 6. Maii 1707. §. Agebatur coram Emo Scotto.*

Frustrà verò Thomas plus æquo insitens litteræ alterius Textus in §. *Nos igitur Auth. de Testam. imperfect.* suas quoque contendebat in Testamento inter liberos adhibendas esse solemnitates, quatenus, ut in casu, Pater voluntatem suam non viva voce, sed scripto explicaverit: Primum nempe, quod exprimi oporteat tempus, quo Testamentum scriptum est: Deindè quoque filiorum nomina propria manu, ad hoc uncias, in quibus scripsit eos hæredes non signis numerorum significandas, sed per totas literas declarandas; sicuti etiam cavetur in *Auth. quod sine C. de Test.*

Decisiones noviss. ad Castellum de Alimentis.

Etenim ex hinc solemnitatibus in Testamento scripto etiam inter liberos adhibendis, jam Thomas ipse fateri cogebatur, & notam certi temporis, & nomina liberorum non per signa, aut notas arithmeticas, sed per totas literarum consequentias à Paulo Patre propria manu exarata fuisse, imò etià propria subscriptione confirmata: Quod autè subdebat non uncias aut hæreditatis quotam, sed solas fructuum partes filiis relictas, & quidem ex certo tempore, & eorum vita durante tantum, & non Jure institutionis, non ideò irritam reddere poterat adeò expressam paternæ voluntatis dispositionem. Cum enim ex ipsis Testamenti verbis præclarè constaret, eundem Paulum non omninò filios præterisse, sed Thomæ quartam fructuum partem, Dominico verò natu majori residuum reliquisse, eosdemque hæredes compellasse tum in ea parte, in qua eorum arbitrio commisit electionem Ecclesiæ, in qua ejus Cadaver sepeliri deberet, tum in alia, in qua adjectus onus priorum quorundam legatorum, & nullum alium de cætero scripsisse universalem Cohæredem; Jam in dubium venire non poterat, quin ipsi pro dd. quotis à Patre designatis, non in solis fructibus, sed in universa hæreditate hæredes scripti dicendi essent: cum certi, & explorati Juris sit, quod institutus in re certa, si ei Cohæres universalis nemo datus fuerit, vel datus defecerit, dempta mentione rei certæ, perindè habeatur, ac si in tota hæreditate fuisset institutus *l. 1. §. Si ex fundo l. quoties §. Si duo, l. si alterius, & l. Titius ff. de hæred. inst. cum aliis pluribus concordantibus relat. apud Mantie. de conject. l. 4. tit. 8. n. 15. Bellon. de Jur. accresc. c. 7. & 8. per tot. & maximè quando prout in casu, non agitur de extraneo, sed filii in re certa institutus, in quibus sicuti relictum titulo institutionis particularis succedit loco legitimæ, ita facilis ad se trahit totam hæreditatem, ut ex communi DD. opinione firmat idem*

1 Bellon. d. quæst. 8. n. 1. & 2. & quæst. 9. n. 2. & seg. Sicuti igitur si Paulus quartam hæreditatis partem Thomæ, & residuum Dominico reliquisset, dubium non foret, quin plene satisfactum fuisset formæ in d. §. *Nos igitur, & Auth. quod sine præscriptæ*, ita neque in controversiam revocari debet, quin ratum, validumque habendū sit Testamentum, in quo nullo dato Cohærede universali idem Paulus certam fructuum partem filiis reliquit, ut in similibus terminis articulo discussio firmavit *Rota in Firmana Testamenti 6. Maii 1707. cor. Emo Scotto*, cum de cætero, quod ad titulum institutionis attinet, ommissa quæstione illa, utrum in Testamento inter liberos hæc formalitas servanda sit, cum eam servari non oportere placuerit *Glosse*, quam Alexander vocat singularè in *Auth. novissima verb. tit. C. de inoffic. Testam.* exuberet in casu, quod Paulus usus fuit verbo *vadino*, quod est verbum directum *Gratian. discept. for. c. 542. n. 23. Trentacinq. de substit. par. 4. c. 4. n. 9.* & quod plus est filios suos hæredes pluries nominaverit, ad effectum ut in d. fructuum parte, & sic nedum in certa eos instituisse censeatur: cum nedum in ultimis dispositionibus inter liberos, in quibus omnis extrinseca solemnitas speciali Jure remissa est, sed etiam in cæteris institutionibus attinet, amota quacumque solemnium verborum necessitate, satis sit de intentione, & voluntate disponens per quæcumque verba liquere, ut ad litteram cavetur in d. l. *quoniam indignum C. de testam.*

Nihil obstante, quod d. quota liberis relictæ fuerit decennio post obitum uxoris, & ad certum dumtaxat tempus, scilicet eorum vita durante, & cum onere fideicommissi, quodque demum admixti fuerint inter filios etià Nepotes nascituri, immò ipsius Pauli

C 2

Testa-



Testatoris Uxor, quæ extranea de Jure censetur. Ut enim DD. animadvertent, tunc solum filii inique se præteritos queri possunt, cum nihil eis omnino à Testatoribus in Testamento relictum est; Sin verò quantacumque pars hæreditatis, vel res eis fuerit relicta, de inofficioso querela quiescente, id, quod eis deest usque ad quartam legitimæ partis repletur, licet non fuerit adjectum, debere eam compleri: & ad ratam ejusdem legitimæ quodcumque onus, dilatio, aut conditio ipso Jure rejicitur, perinde ac si appositum non fuisset, juxta expressos, & literales Textus in §. Sed hæc ita Instit. de inoffic. Test. l. omni modo l. quæ nuper l. quoniam in prioribus, & l. scimus §. Sancimus Cod. eodem tit. & cæteris relatis dixit Rota in d. Firmana Testamenti §. Onera coram Eino Scotto.

Hoc autem posito quatenus in Testamento inter liberos admixti fuerint extranei utique quoad istos dumtaxat pro nullo habeatur Testamentum, sed cæteroquin respectu liberorum illud ratum, validumque manebit, ut disponitur in d. l. hac consultissima §. Ex imperfecto C. de Testam. Sed hinc bene quidem inferri poterit, quod ea, quæ à Paulo favore uxoris relicta fuerunt, pro non scriptis habenda veniant, ex quo uxor extranea est, & appellatione liberorum nullo pacto contineri potest: prout etiam quod datio Exequutorum extraneorum pro non scripta censeatur argument. Text. de Tutore loquentis in l. quia Pater ff. de confirm. Tut. l. Impubes ff. de administrat. Tut. quo in proposito utitur Donell. in d. l. hac consultissima §. Ex imperfecto C. de Testam. non tamen etiam argui poterit, quod respectu Nepotum ex filiis irrita sit ejusdem Pauli dispositio, pro eo, quod modum legitimæ portionis excedit: Nam quidquid dixerit Barbat. conf. 88. lib. 4. ea semper prævaluit opinio, ut quemadmodum liberorum nomine etiam Nepotes, & cæteri Descendentes continentur l. liberorum ff. de verb. signif. ita pariter privilegium indultum Parentibus, qui inter liberos testati fuerint, concessum quoque censeatur, quatenus inter Nepotes, & ulterioris gradus descendentes disponant, etiam si ipsi de cætero primum succedendi gradum propter filios superstitis ab intestato non obtineant, ut articulo plenè discussio respondit. Rota in toties laudata Firmana Testamenti §. Quarta nullitas cum pluribus seqq. cor. Eino Scotto.

Jure igitur meritoque in præcedenti sententia Congregationis Particularis validum, ratumque habitum fuit controversum Pauli Testamentum, pro eo, quod attinet ad liberos, & ad legata in ipsam causam cujus idem est, ac liberorum privilegium, ut in specie firmant DD. in cap. relatum, & in cap. cum tibi de Testam. Donell. in d. §. Ex imperfecto Cod. de Testam. & alii communiter. Idque etiam si filii non ex æquo, sed pro inæqualibus portionibus instituti fuerint, cum hujusmodi inæqualitas etiam in istis privilegiatis Testamentis permixta sit, ex quo aliàs si liberi essent per Patrem æqualiter instituendi, inutile redderetur privilegium ipsi indultum, dum filii, tam in casu testati, quam in casu intestati semper ex æquo succederent, ut pluribus adductis concordantibus bene prosequitur Rota in d. Firmana Testamenti §. Minus urget cor. Eino Cardinali Scotto.

Et consequenter Jure etiam meritoque suppleta usque ad justam mensuram legitima filiorum, demptoque ab ea quocumque onere, dilatione, aut conditione in cæteris omnibus demandata fuit exequutio paternæ voluntatis, præterquam in dispositis favore Uxoribus; Et denique commissa fuit

legalis administratio, & executio multiplici Dominico natu majori, & ad pinguiorem hæreditatis partem vocato, perinde ac si Exequutores extranei dati non fuissent, cum, ut supra dictum fuit, neque ipsis, neque Uxori privilegium suffragetur ad formam Text. in d. §. Ex imperfecto C. de Testam.

Sed quia hoc pacto Uxor superstes alimentis ad usum vitæ necessariis destituta remansisset, bene etiam in d. sententia præcedenti post detractam filiorum legitimam, assignata illi fuit in usufructu quarta maritalis, quæ ex hæreditate Viri prædefuncti semper Mulieri debetur, quoties, ut in casu, sine dote nupsit, celebri Auth. præterea C. unde Vir, & Uxor, quam latè exornant relati per bo. me. Ansaldo. dec. 54. n. 40. Minime subsistente, quod illa nupsit cum dote sc. 400. quia tale quid hætenus probatum non fuit, & quatenus probaretur, nihil relevaret, quia ne Uxor in dedecus bene transacti matrimonii mendicare cogatur, aut vilibus ultra ejus conditionem se immiscere, receptum communiter est, ut etiam si cum dote nupsit, sed, ut in hypothesi, exigua, & impari ad necessaria alimenta, sit illi nihilominus maritalis quarta assignanda cum hoc solum, ut in eam propriam dotem computare teneatur, ut docent scribentes in d. Auth. præterea, Bald. in l. licet C. de Jur. dot. Alciar. conf. 19. nu. 2. Rot. post Pacific. de Salyan. d. 174. n. 5. & seq. & n. 11. & seq.

Et ita omittis pluribus aliis quæstionibus extræ Causæ necessitate pro parte Thomæ promotis responsum fuit Utraque Parte informante, & omnibus DD. ex speciali rescripto suffragium ferentibus &c.

## E O D E M,

Eadem,

Luna 11. Januarii 1723.

A R G U M E N T U M I D E M.  
S U M M A R I U M.

- 1 Testamentum Patris minus solemnè inter liberos valet etiam sine institutione. Amplia ut n. 2.
- 3 Contra, quod sine vitio nullitatis institutionem omittit non liceat.
- 4 Etiam ad sensum Rotæ.
- 5 Verbum vadino uti directum convenit hæreditis institutioni.
- 6 Hæreditis institutionem sufficit per quæcumque verba emergere.
- 7 Filiorum institutionem sufficit constare ex consequentia verborum.
- 8 Item ex quo illis datus est substitutus in tota hæreditate.
- 9 Fructus hæreditatis non sunt in bonis defuncti.
- 10 Nec dicuntur substantia paterna.
- 11 Fructum distributio inter filios à Patre facta æquivalere institutioni per quotas.
- 12 Fructus plerumque à testatoribus usurpantur vice usufructus.
- 13 Ususfructus hæreditatis ex quibus verbis filiis relictus dicatur.
- 14 Ususfructus ad se non trahit proprietatem per jus accrescendi.
- 15 Hæreditis institutio in fructibus, vel usufructu non dato cohæredere trahitur ad totam hæreditatem.
- 16 Pater instituendo filium in quota adimplet dispositionem legis.
- 17 Etsi legitimæ modum non servaverit, vel onus illi adjecerit; quia sit repletio, & onus tollitur ipso jure, citra vitium testamenti.

DECISIO

## DECISIO XIII.

Revocato hodie ad novum examen Testamento inter Liberos condito à Paulo Morelio, DD. censuerunt, nullum deficere ex illis intrinsecis solemnitatibus novissimo Authenticorum Jure præscriptis, nimirum, quod filii & certa hæreditatis quota, & honorabili institutionis jure relinquatur: atque idèd eum in hac tantum parte impugnaretur Decisio coram Me edita 23. Februarii superioris anni, minimè dubitarunt respondere in decisio.

Et sanè pro eo, quod attinet ad solemnitatem institutionis, quamvis scribentes pro Dominico negarent, illam esse necessariò servandam, cum Pater, ut in præsentibus, utens privilegio sibi à Jure indulto in celebri l. hac consultissima §. Ex imperfecto C. de Testam. minus solemniter inter filios testatur, allegando in id glossam notabilem, quam Alexander vocat auream, & singularem, in auth. novissima ver. titulo C. de inoff. Testam. & ibi etiam Azo in sum. & Jaf. in princ. & num. 16. Jacob. de Aret. in l. illa institutio ff. de hæred. institu. Gemin. in cap. si Pater post gl. in ver. instituit de Testam. in 6. Alex. conf. 168. num. 6. lib. 5. Ruin. conf. 37. nu. 6. lib. 1. aliisque deductis Petr. Gregor. Tholosan. Syntagm. Jur. par. 3. lib. 44. cap. 2. sub num. 8. Papon. lib. 20. tit. 1. de Testam. Arrest. 20. Boer. decis. Burdeg. 267. sub num. 1. Christin. decis. Belgic. 8. num. 2. & 3. lib. 4. Et multò minùs, quando Pater, prout in casu, utrumque filium sub eadem verborum structura, & eodem modo tractavit, Vasquez de success. lib. 3. §. 21. limitat. 7. nu. 68. & seq. Barry de Testam. lib. 1. tit. 3. nu. 5.

Contra verò defensores Thomæ sustinerent, ejusmodi solemnitatem citrà vitium nullitatis omitteri non posse etiam in hisce privilegiariis Testamentis inter liberos conditis, cum §. Nos igitur Auth. de Testam. imperf. quæ est Novella 170. sit positus sub rubrica de testamentis imperfectis à Parentibus in filios factis, & hanc opinionem absolūtè teneant post gl. in §. Aliud quoque Capitulum Auth. ut cum de appellat. cognoscit. Castren. in Auth. novissima C. de inoff. Testam. Guillem. de Benedic. in cap. Raynuius ver. Testamentum il primo n. 89. Gothofr. in novella 18. Auth. de trien. & semis. n. 21. & relatis aliis antiquioribus Peregrin. de fideic. art. 36. n. 55. Rub. de Testam. cap. 52. nu. 117. & seq. Clarus in §. Testamentum quæst. 38. n. 1. & 2. Merlin. de legum. lib. 1. tit. 2. q. 3. n. 9. Imò verò huic secundæ affirmativæ opinionis videatur quoque adhæsisse hoc nostrum Sacrum Tribunal decis. 342. n. 13. par. 13. & dec. 326. n. 6. par. 19. rec.

Dominici tamen ponderabant, quæstionem hujusmodi in casu, de quo agitur, inutiliter assumi; cum ex facto constet, utrumque filium fuisse à Paulo hæredem institutum: Nèdum enim cum inter eos quotas fructuum distribuit, usus est verbo vadino, quod est verbum directum secum ferens explicitam filiorum institutionem, Bald. in Rubr. C. de impub. & aliis substit. num. 2. Bero. conf. 127. n. 10. lib. 2. Præter. de interpretat. ultimar. volum. lib. 3. dub. 1. solut. 2. interpret. 2. n. 9. Trentacinq. de substit. p. 4. cap. 4. n. 9. Gratian. discept. for. cap. 542. nu. 23. Barry de Testam. lib. 3. tit. 1. num. 4. Verùm etiam eisdem filios pluries, & expressè hæredes compellavit, eisque sine filiis decedentibus in tota hæreditate substituit; quod novissimo, quo hodie utimur, Jure exuberat, Decisiones noviss. ad Castellum de Alimentis.

ut hæredes nominatim instituti censeantur; cum amplius non exigatur scrupulosa illa verborum solemnitas antiquo Jure in ordinandis Testamentis præscripta, sed satis sit de voluntate & mente disponentis per quæcumque verba liquere, ut ex literali Text. in l. quoniam indignum C. de Testam. dictum fuit in præcedenti Decisione causæ in princip. & §. Sicut igitur. Quinimò etiam sufficiat, ut de filiorum institutione constet ex consequentia verborum, l. final. C. de hæredib. instituend. & ibi Bald. num. 5. Mantio. de conject. lib. 4. tit. 1. num. 8. Escann. de Testam. cap. 17. num. 22. & seqq. Rot. dec. 32. num. 10. & seqq. par. 8. & ex eo, quod illis datus fuerit substitutus in tota hæreditate §. In primis Instit. de fid. hæred. l. ab eo C. de fideic. l. cum Testamento §. hæc verba ff. de hæred. instit. Gomez. par. lib. 1. cap. 5. num. 24. Escann. d. cap. 17. num. 15. & seqq.

Supposita igitur filiorum institutione, pro eo, quod attinet ad uncias, sive ad certam hæreditatis quotam filiis relinquendam; licèt primo rei aspectu videretur Paulus in legem peccasse, eo quod Thomæ natu minori quartam fructuum partem, Dominico verò majori natu residuum eorundem fructuum reliquerit; dum fructus hæreditatis re vera non sunt in bonis Defuncti. l. in fideicommissariam ff. ad Trebellian. Ear. in l. Papinianus §. Undè si quis ff. eodem tit. Surd. dec. 15. num. 13. Rot. coram Duran. dec. 76. num. 62. Et quia proveniunt ex ipsa re post obitum Patris, paterna substantia dici nequeunt Rot. decis. 259. num. 11. & prius dec. 62. num. 64. 70. & 72. p. 5. rec. Re tamen funditus inspecta pro certo, & constanti habitum fuit, fructuum distributionem inter liberos à Paulo factam omnino secum ferre distributionem totius hæreditatis, & paternæ substantiæ per uncias, & quotas, sicuti per alium Textum in §. Prohibemus vers. sed modis omnibus Auth. de trien. & semis. exigere videntur ad validitatem paterni Testamenti Peregrin. de fideic. art. 36. num. 68. Mantio. de conject. lib. 7. tit. 10. sub num. 18. Surd. dec. 21. sub num. 12. Magon. dec. Lucen. 85. n. 19. Thomat. dec. 4. n. 24. & seqq.

In primis enim illud erat in facto advertendum, quod Paulus fructus hæreditatis suæ filiis non reliquit de manu alterius percipiendos, sed relicta verba in eos dirigendo, potestatem eis fecit, eisdem fructus sumendi, & vindicandi propria auctoritate; Undè ambigi non poterat, quin juxta morem, & consuetudinem fecerit omnibus testantibus communem, accipiendi fructum pro usufructu, ut notat doctissimus Cujac. ad leg. 12. fund. Trebatiani, & l. cum ita ff. de usu, & usufr. legat. oper. posth. tom. 3. lit. A. & B. & cum aliis Lagunez. de fructib. par. 2. cap. 6. num. 5. & seqq. verba illa Testamenti -- Che li fructi vadino tre delle quattro parti à Domenico, e l'altra quarta parte à Tomaso -- perinde accipienda essent, ac si usufructus hæreduatis fuisset filiis relictus, juxta literales Text. in l. si quis ita 24. ff. usufr. & l. cum ita 41. ff. de usu & usufr. legat. quos mirabiliter conciliant cum alio Textu in d. l. fundi Trebatiani Bartol. ibid. num. 1. Hugo Donell. in commentar. jur. civil. 10. cap. 5. §. Illud tenendum, cum seqq. & latè explicat Rot. in Bononien. manutenzione 15. Maii 1722. §. Nec obviare, & seqq. coram Me.

Præterea, & illud quoque in facto notandum erat, quod Paulus nullum dedit filiis universalem cohæredem, undè sequebatur, ut iidem Filii in usufructu instituti, etiam in proprietate, atque